

suffraganeus faciet omnia, quæ in Episcopi electione ab Archiepiscopo facienda esse decretum est. Quod pertinet ad electionem Coadjutorum, excepto casu quo Sedes Apostolica aliâ ratione agendum esse statuerit, Episcopus qui Coadjutorem petit, nomina trium Sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de eâ re ad S. Congregationem mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de Coadjutore eligendo communicabunt.

Hæc sunt quæ in commendandis Sedi Apostolicæ Sacerdotibus pro Fœderatæ Americæ Episcoporum electione S. Congregatio servanda præscripsit. Ea verò decernens, notum omnibus esse voluit, in litteris de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed propriè dictam commendationem; ut etiam ex litterarum formâ pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illæsa Sedis Apostolicæ libertas in eligendis Episcopis. Commendationes verò lumen tantum et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.

Datum Romæ ex Æd. dic. Sac. Congreg. die 14 Junii 1834.

C. M. EP. PRÆNEST. CARD. PEDICINI, *Præf.*

A. MAIUS, *Secr.*



CONCILIUM

BALTIMORENSE

PROVINCIALE III,

HABITUM

ANNO 1837.



CONCILIIUM PROVINCIALE III,  
BALTIMORI HABITUM MENSE OCTOBRI,

ANNO 1837.

ACTA CONCILII.

SESSIO PRIMA.

**D**OMINICA III post Pascha, die 16 Aprilis anno  
R. S. 1837, inceptum est Concilium Baltimo-  
rense Provinciale tertium in Ecclesiâ Metropolitanâ,  
horâ decimâ A. M.

Post solennes supplicationes ab ædibus Archi-  
episcopalibus, Missa solemniter celebrata est ab  
Illmo et Revmo D. SAMUELE ECCLESTON, Archie-  
piscopo Baltimorensi; et post Concionem ab Illmo  
ac Revmo D. FRANCISCO PATRITIO KENRICK, Epis-  
copo Arathensi, et Coadjutore Episcopi Philadel-  
phiensis, apertum est Concilium juxta formam in  
Pontificali præscriptam, emissâ fidei professione ab  
Illmo ac Revmo Archiepiscopo, et Illms ac Revms  
Episcopis Bolinensi, Oriensi, Vincennopolitano et  
Neo-Aurelianensi, qui primâ vice Concilio Provin-  
ciali aderant.



Præfuit Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. SAMUEL ECCLESTON, Archiepiscopus Baltimorensis.

Aderant Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. JOSEPHUS ROSATI, Episcopus S. Ludovici;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. BENEDICTUS JOSEPHUS FENWICK, Episcopus Bostoniensis;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. FRANCISCUS PATRITIUS KENRICK, Episcopus Arathensis, et Coadjutor Episcopi Philadelphiensis, cum plenâ potestate in Diocesim Philadelphiensem;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. JOANNES BAPTISTA PURCELL, Episcopus Cincinnatensis;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. GUIDO IGNATIUS CHABRAT, Episcopus Bolinensis, et Coadjutor Episcopi Bardensis;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. GULIELMUS CLANCY, Episcopus Oriensis, et Coadjutor Episcopi Carolopolitani;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. SIMON GABRIEL BRUTE, Episcopus Vincennopolitanus;

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. ANTONIUS BLANC, Episcopus Neo-Aurelianensis.

Placuit Patribus, proponente Ill<sup>m</sup>o ac Rev<sup>m</sup>o D. Archiepiscopo, designare Officiales Concilii Provincialis:

Ill<sup>m</sup>um ac Rev<sup>m</sup>um D. BENEDICTUM J. FENWICK, Promotorem primum, cum potestate designandi Congregationes;

Admodum Reverendum D. LUDOVICUM R. DELUOL, S. T. D., Vicarium Generalem Archiepiscopi Baltimorensis, Promotorem secundum;

Rev. D. EDUARDUM DAMPHOUX, S. T. D., Metropolitanæ Ecclesiæ Rectorem, Secretarium;

Rev. D. CAROLUM I. WHITE, Rectoris Metropolitanæ Ecclesiæ Adjutorem, socium Secretarium;

Rev. D. FRANCISCUM LHOMME, et D. HUGONEM GRIFFIN, Magistros Cæremoniarum;

Rev. DD. JOANNEM RANDANNE et PETRUM FREDET, Cantores.

PRIMA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 17 Aprilis, horâ nonâ A. M. habita est Congregatio prima privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Præfuit Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. Archiepiscopus. Aderant Ill<sup>m</sup>i ac Rev<sup>m</sup>i DD. Episcopi suprâ memorati, et Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. JOANNES ENGLAND, Episcopus Carolopolitanus, qui aperto jam Concilio advenit. Adfuerunt insuper admodum Rev. D. Promotor secundus, et Secretarii.

Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us D. JOANNES DUBOIS, Episcopus Neo-Eboracensis, litteris per procuratorem missis, se excusatum haberi rogavit; quod Patribus visum est.

Exhibito Mandato procurationis ab admodum Rev. D. FELICE VARELA, Vicario Generali Episcopi Neo-Eboracensis, ut sui Episcopi vicibus in Concilio Provinciali fungatur, iis privilegiis fruiturus quæ Patribus visum fuerit, placuit ut admittatur cum voto consultativo tantum.

Patribus visum est expedire preces Summo Pontifici porrigere, ut nova Sedes Episcopalis in urbe Pittsburgi erigatur, quæ suâ ditione eam partem provinciæ Pennsylvaniae complectatur, quæ Occidentalis dicitur, vulgò *The Western District of Pennsylvania*, juxta divisionem civilem quæ legibus ejusdem Provinciæ statuta est.\*

\* Respectivi limites Pittsburgensis et Philadelphiensis Diocesum certiore lege definiti sunt anno 1850. Decretum eâ de re reperietur inter Acta Concilii Provincialis VII.



Placuit Patribus has sequentes regulas in privatis Congregationibus Episcoporum servari: 1. Invocatâ divini luminis gratiâ per Antiphonam *Veni sancte Spiritus*, Episcopi sedent juxta ordinem temporis suæ consecrationis. 2. Secretarius legit Acta Congregationis præcedentis: Episcopi, si quid circa illâ mutandum, vel illis addendum putant, proponunt. 3. Promotor proponit unam de quæstionibus in Congregatione generali præcedenti agitatis; legit, vel legendum tradit Secretario votum Theologorum, quibus illius quæstionis examen commissum fuerat. 4. Episcopi sententiam suam aperiunt ordine quo sedent. 5. Demùm pluralitate votorum quæstio deciditur.

## PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 17 Aprilis, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus. Aderant Illm̄i ac Revm̄i DD. Episcopi suprâ memorati, secundus Promotor, et Secretarii. Aderant insuper:

Admodum Rev. Pater GULIELMUS McSHERRY, Superior Societatis Jesu;

Rev. D. JOANNES J. CHANCHE, Præses Collegii S. Mariæ Baltimo- rensis;	} Theologi Me- tropolitanæ Ecclesiæ no- minati.
Rev. D. PETRUS SCHREIBER, Rec- toris Metropolitanæ Ecclesiæ adju- tor;	

Rev. D. REGIS LOISEL, ab Episcopo S. Ludovici adductus Theologus;

Rev. D. THOMAS F. MULLEDY, S. J. Præses Collegii Georgiopolitani, ab Episcopo Bostoniensi designatus Theologus;

Admodum Rev. D. LUDOVICUS DEBARTH, ab Episcopo Arathensi designatus Theologus;

Admodum Rev. D. STEPHANUS T. BADIN, ab Episcopo Cincinnatiensi adductus Theologus;

Rev. D. IGNATIUS A. REYNOLDS, ab Episcopo Boli-nensi adductus Theologus;

Rev. D. JOANNES HUGHES, ab Episcopo Oriensi designatus Theologus;

Admodum Rev. D. PETRUS R. KENRICK, Vicarius Generalis Episcopi Arathensis, ab Episcopo Vincen-nopolitano designatus Theologus;

Rev. D. AUGUSTINUS VEROT, ab Episcopo Neo-Aurel. designatus Theologus;

Admodum Rev. D. FELIX VARELA, V. G. Episcopi Neo-Eborac. Procurator;

Admodum Rev. D. PETRUS J. VERHEGEN, Super-ior Missionum Patrum Soc. Jesu in Diocesi S. Ludovici.

Illm̄us ac Revm̄us Promotor legit sequentes regu-las in Congregationibus publicis servandas: 1. Invo-catâ Spiritûs sancti assistentiâ per Antiphonam *Veni S. Spiritus*, Episcopi sedent juxta ordinem consecra-tionis, et Theologi sedent hoc ordine: Vicarii Gene-rales; Superiores Ordinum; reliqui Theologi juxta ordinem prioritatis ordinationis. 2. Promotor pro-ponit quæstiones discutiendas, et requirit ut votum circa illas legatur ab uno ex Theologis Congregatio-nis specialis, cui illarum examen commissum fuerat. 3. Lecto voto Theologorum, Promotor requirit à Theologis ut si quid circa illud dicendum habeant,



de eo privatim loquantur Promotori extra Congregationem, qui, si placeat, id proponet usitato modo.

Deinde lecta sunt quæ privatæ Theologorum Congregationes retulerant de quæstionibus ipsorum discussioni traditis, et Theologorum de his sententiæ ab Illmo ac Revmo Archiepiscopo rogatæ sunt.

#### SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 18 Aprilis, habita est secunda Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Recitatæ sunt sequentes litteræ quas Illmus ac Revmus D. RESE, Episcopus Detroitensis, Patribus Synodi Provincialis misit:

“Reverendissimi Patres in Synodo Provinciali Baltimorensi congregati,

“Ægro quidem animo consecrationem, necnon et Episcopatum, uti constat, suscepi; et re quidem verâ, brevi tempore, experiëntiâ ipse satis cognovi erectionem novæ Diœceseos ejusque administrationem, plurimasque difficultates et molestias undique erumpentes, esse pondus valdè nimis supra humeros meos, ideoquè sæpiùs in mente meâ constitui Diœcesim meam in manus Sanctissimi et Summi Pontificis nostri resignare, vel saltem Coadjutorem idoneum à S. Sede petere. Hoc autem in præsentiarum executioni mândare cupio, et hæc de causâ duos jam Vicarios Generales, scilicet Rev. DD. BADIN et DE BRUYN constitui, ut conjunctim jurisdictionem in absentia meâ exerceant, donec aliter statuatur. Hæc sunt, Reverendissimi Patres, quæ vobis proponenda judicavi, et precor ut veniam mihi concedere dignemini si Synodo huic Provin-

“ciali adesse non possim, et adjuvetis ut felicem exitum desideriorum meorum consequi merear, si bonum in Domino videbitur.

“Baltimore, ex ædibus Seminarii S. Mariæ, die 15 Aprilis 1837.

“† FREDERICUS RESE, *Episc. Detroitensis.*”

Lectis itaque suprâ memoratis litteris, placuit preces Summo Pontifici porrigere ut dignetur resignationem Revmi D. RESE acceptare. Placuit etiam Summum Pontificem suppliciter rogare ut, acceptatâ ejusdem Episcopi resignatione, Episcopum qui Diœcesim Detroitensem regat, designare dignetur.

#### SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 18 Aprilis, habita est secunda Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus prima.

Aderant Illmi ac Revmi Patres, Officiales et Theologi qui heri, et insuper Rev. D. JOANNES HICKEY, Superior Puellarum Caritatis Emmitsburgi.

Discussio quæstionum in privatis Theologorum Congregationibus expensarum continuata est.

#### TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 19 Aprilis, habita est tertia Congregatio privata eodem loco et horâ quibus prima.

Placuit Patribus ad expedienda Concilii negotia, in privatis Congregationibus ab horâ primâ P. M. ad horam secundam, de Sedibus novis erigendis, et de commendandis Sacerdotibus ad Episcopatum evhendis, singulis diebus agendum esse.

Deinde lata sunt decreta 1, 2, 3 et 4.



## TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 19 Aprilis, habita est tertia Congregatio publica, eodem loco et horâ quibus heri.

## SESSIO SECUNDA.

DIE 20 Aprilis, horâ decimâ, post Missam solemnem ab Ill<sup>m</sup>o ac Rev<sup>m</sup>o D. FENWICK, Episcopo Bostoniensi, et Concionem ab Ill<sup>m</sup>o ac Rev<sup>m</sup>o D. ENGLAND, Episcopo Carolopolitano, habita est Sessio secunda in Ecclesiâ Metropolitanâ, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam.

## QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 20 Aprilis, horâ quintâ P. M. habita est quarta Congregatio publica, ut heri.

## QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 21 Aprilis, horâ nonâ A. M. habita est quarta Congregatio privata, eodem loco quo prima.

Lata sunt decreta 5 et 6.

## QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 21 Aprilis, horâ quartâ, habita est quinta Congregatio publica, ut heri.

## QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 22 Aprilis, horâ nonâ, habita est quinta Congregatio privata, ut heri.

Lata sunt decreta 7, 8, 9, 10 et 11.

Visum est S. Sedem implorare, ut in religionis augmentum nova Sedes Episcopalis in urbe *Nashville* erigatur, totam Provinciam *Tennessee* suâ ditione complexura.

Visum est etiam S. Sedem supplicare ut nova Sedes Episcopalis in urbe *Natchez* erigatur, quæ totam regat Provinciam *Mississippi*.

Visum est quoque Beatissimo Patri porrigere preces ut nova Sedes Episcopalis in urbe *Dubuque* erigatur, quæ partem occidentalem Territoriî quod *Wisconsin* vulgò audit, suâ ditione complectatur, scilicet quæ intra occidentalem Mississippii et orientalem Missouriî fluminis ripam continetur.

## SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

DOMINICA quartâ post Pascha, die 23 Aprilis, horâ decimâ A. M. in Ecclesiâ Metropolitanâ conveniunt Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us Archiepiscopus unâ cum ceteris Concilii Patribus, Officialibus et Theologis. Missam celebravit Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us Episcopus S. Ludovici; concionem habuit Ill<sup>m</sup>us ac Rev<sup>m</sup>us Episcopus Carolopolitanus. Deinde aperta est Sessio tertia et ultima, et servatis omnibus quæ in Pontificali Romano præscribuntur, ritè peracta et absoluta.

## ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus.* Deo Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis, gratiæ.

*Chorus.* Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Provincialium frequentiam